Hec ſancta ſacrificia illibata. Hec tercia crux ſignificat ꝙ etiam fuit traditus a diſcipulo ſuo iuda fraudulenter oſcl'o. O bone Jheſu. os tuum in quo dolus non eſt inuentus ori qđ abūndauit malitia ⁊ nequitia dulciter et amicabiliter applicuiſti. O innocens agne quid tibi. ⁊ lupo illi. ſed hoc feciſti vt prauitatem cordis illius emollires. O Jheſu ꝓſtrauerunt igitur te crudeles ⁊ furioſi iudei in terram ⁊ duriſſime percuſſerunt collum tuum. ⁊ manus tuas inuicem dire funibus ligabant. ⁊ tanꝙ̄ furioſi. ⁊ rapidi lupi in te agnum ſeuiebāt. tu vero tanꝙ̄ agnus innocens te turpiter ligari permiſiſti. Quis igitur audiet ſine gemitu qualiter in illa hora horridas iniecerunt manus. O bone. Et innocentes manus tuas vinculo cōſtringentes. te agnum manſuetiſſimum nihil obloquentem. Unde inſtar latronis contumelioſe te cum fune contraxerunt. Tu vō non ceſſaſti ſuper inimicos tuos fauū diſtillare dulcedinis tue Nam malcho aurem a Petro amputatam reſtituiſti. et ignominioſe ac violenter ad domum anne ductus es. ⁊ ab eodem examinatus et alapa dire percuſſus.

In primis que tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica. quam pacificare. cuſtodire, adunare. et regere di-

gneris toto orbe terrarum vna cum famulo tuo papa noſtro .N.⁊ antiſtite. N.⁊ rege. N.⁊ omnibus orthodoxis atqꝫ catholice ⁊ apoſtolice fidei cultoribus. Memento domine famulorum famularumqꝫ tuarum. Hic age memoriam. ſcilicet tui ipſius conſanguineorum parentum ſpiritualium et carnaliuꝫ benefactorum inimicorum. ⁊ eoruꝫ qui tibi ſe commendarūt pro filijs confeſſionis. ⁊ pro quibus orare teneris. Olim ſolus pontifex intrauit in ſancta ſanctorum orans pro ſe ⁊ domo ſua ⁊ pro vniuerſo cetu filiorum iſrahel. Leuitici. xvi. Ante primi memoriam potes cogitare primum articulum paſſionis chriſti in domo cayphe. ꝙ ibidem ductus ligatus a multis falſis teſtibus accuſatus. ⁊ vt agnus innocens coram tondente ſe tanq̃ reus omnium peccatorum noſtrorum que ſponte ſupra ſe ſūpſit obmutuit. Et adiuratus a Caypha ſtridente ⁊ fremente reſpondit. Amodo videbitis filium hominis ⁊c̄. Tunc omnes circumſtantes in eum irruebant dicentes. Reus eſt mortis. Circa ſecundi memoriam ſcilicet genitiuorum. nota ꝙ alij expuerunt in faciē ⁊ in os eius. adeo ꝙ nō erat ei aſpectus ꝓpt abūdantiam ſputorum. quam faciem angeli deſiderant conſpicere Et conuerſus Jheſus reſpexit Petrum penitentiam ei infundens qui eum ter negauit. Roges deum vt te illo reſpectu aſpicere dignetur. ⁊ inſtar Petri deplange peccata qui dominū tuū ſepe negaſti. Ante memoriam datiuoruꝫ nota. ꝙ aliqui euellebant barbam ⁊ crines capitis eius. Eſa. v. Corpus meum dedi percucientibus. ⁊ genas meas vellentibus. Ante memoriam accuſatiuorum. nota ꝙ aliqui percuſſerunt eum cum palmis in facie. Alij dederunt ei collaphas. ſic ꝙ ex talibus verberibus facies eius intumuit. Unde fere tota nocte ad colūnaꝫ ligatus obmutuit. tanq̃ agnus innocens. Ante memoriam vocatiuorum nota. ꝙ tam amabilis fulgor egredicbatur de oculis eius. ꝙ eum videntes in faciem. conceptam maliciam in animo non potuerunt ad libitum conſummare ſm̄ Hieronimum Ideo velauerunt faciem eius. percucientes caput eius dicentes. Prophetiſa nobis chriſte quis eſt qui te percuſſit.

BIBLIOTEKA GŁÓWNA - Uniw. im. A. Mickiewicza - w Poznaniu

Et omnium circũſtantium quorum fides tibi cognita eſt et
nota deuotio pro quibus tibi offerimus · vel qui tibi offerunt
hoc ſacrificinm laudis pro ſe ſuiſqꝫ omnibus pro redemptiõe
animaꝝ ſnarum pro ſpe ſalutis ⁊ incolumitatis ſue tibiqꝫ red
dunt vota ſua eterno deo viuo et vero.

Cõmunicantes

Hic orat ſacerdos pro illis quorum memoriam habuit an-
te. Unde notandum ꝙ ſacerdos legalis intrans ſanctum ſãc
torum. erat indutus ſuper humerali ꝙ in vtroqꝫ humero ha-
bebat vnum magnum ⁊ precioſum lapidem onichinuꝫ ⁊ in
cingulo erant ſculpta ſex nomina filiorum iſrahel. que ſimlˀ ſũt
duodecim. quia ipſe ſacerdos totum portabat onus populi in
humeris ſuis. Leui. xi. Hoſtia ꝓ pctõ data ẽ vob̃ vt portetis
iniquitatem multitudinis ⁊ rogetis pro ea in conſpectu domi-
ni. Similiter erat indutus alia veſte que dicitur rationale. et
in illa circa pectus erant duodecim lapides precioſi. et in quo
libet eorum erat ſculptum vnum nomem duodecim filiorum
iſrael. qꝛ ſacerdos ille habuit omnem populum in pectore iu-
gis meditationis. Et ſic anxiatꝰ onere peccatoꝝ ſui et totiꝰ po-
puli precabatur deum vt ſaltem meritis patriarcharum duode
cim diguaretur populo propiciari. Deutro. ix. Sic etiam ſacer-
dos euangelicus in ſancto ſanctorum eleuat hic humeros ſu-
os quibus. impoſitum eſt totum onus populi· pro q̃ ex nimia
auxietate ſpiritus precatur dominum. vt ſaltem meritis patri-
archarum ſcilicet duodecim apoſtolorum quoruꝫ nomina hic
recitat. ⁊c̃. Siˡiter habet in pectore iugis meditationis opꝰ po
puli ad orandum pro eo. et precipue pro illis quorum ſtipen-
dijs et elemoſinis ſuſtentatur et quorum memoriam ante ha-
buit Et hoc etiam meritis duodecim martirum. quorum etiã
nomina hic recitat. infula vero ꝙ̃ ſupra caput ponit. totum o-
nus populi ſupra caput agni q̃ tollit pctã mundi ſignificat.

Cõmunicautes ⁊ memoriam venerantes. Inˀprimis glorio
ſe ſemꝑ virginis Marie genitricis dei ⁊ domini noſtri Jheſu
chriſti. Sed ⁊ btõꝝ apłoꝝ ac martirũ tuoꝝ Petri Pauli An-

dree Jabobi Johannis Thome Jacobi Philippi Bartholo
mei Mathei Simonis ⁊ Thadei Lini Cleti Clement⁊ Sixti
Cornelij Cipriani Laurentij Criſogoni Johānis ⁊ Pauli Coſ
me ⁊ Damiani. ⁊ omnium ſanctorum tuorum. quorum merit
precibuſq꜑ cōcedas. vt in omnibus protectionis tue munia-
mur auxilio. per eundem chriſtum dominum noſtruꝫ. Cogita
ꝙ mane facto Jheſus dire vinctus ducitur de domo Caiphe ꝑ
plateas. ⁊ mater ſua vidit eum a diſcipulis derelictum et ꝯſpu
tum tanq̄ leproſum. ⁊ Jheſus reſpexit matrem. Cogita illuꝫ
mutuum reſpectum q̇d tūc mater potuit dicere ad filium ⁊ cu
ius cordis erat tu ipſe cogita. qꝛ hoc nimis lōguꝫ eſſet dicere a-
nime deuote. Sic enim preſētabat Pylato ⁊ ſtetit coraꝫ eo di-
miſſo capite ⁊ pacientiſſimo corde. Et ſteterūt iudei ꝯ̄ euꝫ tan-
q̄ gigantes. ⁊ terribilibus oculis eū intuebantur. Accuſantes
eum de tribus. ſcꝫ ꝙ cōuertit populum. ⁊ filium dei ſe fecit. Se
cūdo ꝙ tributum ceſari dari prohibuit. Tercio ꝙ regem ſe di
xit. Sed eccleſia in perſona chriſti querit in offitio diei paraſce
ues contra hec tria cantans tribus vicibus. Popule meꝰ quid
feci tibi responde mihi. ⁊c̄. Aut in quo moleſtus fui tibi. ⁊c. Et
ducitur a Pylato ad Herodem dimiſſo vultu et verecūdo et
nudibus pedibus incedens cum magna feſtinatione et omni-
um clamore conuitia audiens. Et mater eius cū indicibili do-
lore eū ſequitur a longe. Et coram herode tanq̄ agnus man-
ſuetiſſimus non aperiens os ſuum ad multa ab eo interrogata
inclinato capite ſtetit. Et herodes iheſum illuſum ⁊ indutum
alba veſte et longa. tanq̄ ſtultum ad pylatum remiſit. ⁊ prop
ter longitudinem illius veſtis et propter impetum iudeoꝝ cre
ditur ſepius corruiſſe in via. Quod ſignatur per humilem ca-
pitis inclinationem et baſſam tocius corporis ſacerdotis dep̄ſ-
ſionem dum loquens legitur oratio. Hanc igitur oblationem
ſeruitutis noſtre ſed ⁊ cuncte familie tue queſumus domine vt
placatus accipias dieſq꜑ noſtros in tua pace diſponas. atq꜑ ab
eterna damnatione nos eripi. ⁊ in electorum tuoꝝ iubeas gre
ge numerari. per chriſtum dominum noſtrum.

Confirma me domine rex iſrahel. ⁊ reſpice in hac hora ad o
pera manuũ tuaꝝ vt ſicut ꝓmiſiſti hieruſalem ciuitatem tuã
erigas. Et hoc ꝙ cogito perficiam per te. Confirma me domi
ne in hac hora. Quam oblationem tu deus in omnibus que-
ſumus domine bene dictam.

Hec crux ſignificare poteſt ꝙ iudei innocentem chriſtum
clamabant. Tolli ⁊ crucifigi. ⁊ maleficum ⁊ maledictum bar
rabam dimitti. Aſſcri ptam.

Hec crux notat chriſtum traditū militibus ad flagellan-
dum. qui nudauerũt eum coram tota coborte hominum vtri-
uſqꝫ ſexus. Et nota hic verecundiam quam ſuſtinuit pijſſim⁹
ac verecundiſſimus Jheſus. Et eum immaniſſime flagellis ce
ciderunt. ⁊ vſqꝫ ad coſtas verberibus laceratus. ſic ꝙ a verti
ce capitis vſqꝫ ad plantam pedum non fuit in eo. ſanitas quo
uſqꝫ tam tortorib⁹ ꝙ̃ inſpectorib⁹ fatigatis iubetur ſolui. Hic
inſpice eum ſic nudum vndiqꝫ ſanguine cruentatum ſolutũ co
ram multitudine ſtantem. Ratam rationabilem acceptabi
lẽqꝫ facere digneris. Hic nota ꝙ induerunt eum veſtem lace-
ratam purpuream deriſoriam tanꝗ̃ regnare volentē. vt nob
cor pus. Hic nota ꝙ capiti eius coronam ſpineam vſqꝫ ad
cerebrum violenter impreſſerunt. vt ſanguis eius ex capite co-
pioſe defluens frontem genas et collū rubricaret ⁊ pluſꝗ̃ mil
le puncturis vulnerauerũt. ⁊ ſan guis fiat. Nota hic ꝙ de
derunt ei arundinem in manu dextera ad modum ſceptri rega-
lis flectentes deriſorie genua coram eo dicentes. Aue rex iude-
orum dantes ei alapas ⁊ expuentes in faciem eius ⁊ arundie
caput eius percuſſerunt vt ſpine eius fortius intrarēt. dilectiſſi
mi filij tui domini noſtri iheſu chriſti. Hic erige manus tu
as ex intima deuotione cum ſuſpirio in celum. quaſi diceres. O
dulciſſime pater non dedigneris ꝙ ego pauper ⁊ inimicus au-
ſus ſum tam magnifica poſtulare. q̄ ſi rogarē a te celum ⁊ ter
rã modicum eſſet. ſed poſtulare a te corpus ⁊ ſanguinē filij tui
vnigeniti vt ſub tã immũdis manibus crearetur quis non cõ-
tremiſceret Vñ iſtud ſacramentũ eſt q̈dãmodo ꝑcipuũ iudiciũ

diuine dilectionis ad hominē. nihil enim minus videtur deus facere in eo ꝙ quotidie dignatur deſcendere de celo ſuper altare. ꝙ̄ cum de celo deſcendens naturā humanam homo factus aſſumpſit. Unde in iſto altari angeli et archangeli miniſtrant. throni celeſtes ſedilia preparant Seraphin pannum ſupponunt. Cherubin verſus propiciatorium facies inflectunt. vbi principatus et poteſtas ſic ſeruiunt. vt principes tenebrarum remoueantur.

Qui pridie ꝙ̄ pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas. Cogita hic O pie pater recordare timoris doloris et anguſtie. quam ſuum dulciſſimum cor tunc ſētit Et eleuatis oculis ad te deum patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens. bene dixit. fregit. dedit diſcipulis ſuis dicens. Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum. Hec crux iam facta notat ꝙ pylatus Jheſum ſic indutum veſte purpurea. flagellatum. ſpinis coronatum. arūdinem in dextera tenentem. funem vero in brachio quo prius ad columnam ligatus. facie in terra dimiſſa ⁊ ſanguine ꝑ oculos genas nares et collum copioſe decurrente ſic deformatum omni populo oſtendit et clamans. Ecce homo. Et iteꝝ. Ecce rex veſter. Quam quidem obprobrioſam oſtenſionem repetit ſacerdos in eleuatione corporis chriſti oſtendens eum omni populo. ⁊ ſicut illi voce clamabant canina. Tolle tolle crucifige eum. ſic nos ecōtra videntes cum ſuſpirio dicimus eum ſalutantes. Aue ſalus mūdi. ⁊c. Et iā cogitemꝰ in nobis O bōe Jheſu. intime te deprecor. vt illam miſerabilem vultꝰ tui fōrꝫ cordi meo ꝑſpicaciter imprimas ⁊ ardenter infigas. q̄lez viſes in illa hora habuiſſe. quādo velut abhominabilis leproſus omnibus fuiſti oſtenſus. Hora eleuationis venerabilis ſacramenti nola pulſatur. quia in lege leuite tempore ſacrificij tubis clangebant. Et ſic etiam laudamus eum in cimbalis. Et etiaꝫ vt populus prepet ſe ad deuotionem ⁊ orationem. Candele ⁊ faces accenduntur. Quia corda fidelium circūſtantium accendi debēt deuotius ⁊ inflāmari feruentius. Unde ſctūs Gregꝰ.

dicit q̄ in inſtanti prolationis verborum horum. hoc corpus meum. celi aperiuntur celeſtium curie adueniunt cum verbo dei incarnato ad vocem ſacerdotis O ſacerdotes quali honore honorati. quaſi menſa cibamini ⁊ potamini. quam angeli videntes horreſcunt ⁊ neq̄ ſine timore reſpicere audent. Et dicet ſacerdos verba conſecrationis cum intentione conficiendi in perſona chriſti. ⁊ ſic chriſtus in perſona ſacerdotis conficit In ſignum q̄ vnum ſunt chriſtus et ſacerdos. quia dicitur hoc eſt corpus meum. Simili modo poſtq̄ cenatum eſt. accipiens hunc preclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas item gratias agens bene dixit.

Hec crux notat q̄ Jheſus crucem ſuis in proprijs humeris portauit. poſteriorem vero eius partem traijciens curuatus cruentatus cum magna confuſione factus obprobrium hominum. Et tamen exultauit in ſpiritu vt gigas ad currendam viam ad montem caluarie. Et ibidem coram tota multitudine nudatus. quia veſtem eius in vulneribus coagulatam violenter extraxerunt. adeo dire. q̄ omnia vulnera eius denuo aperta erant. ex quibus ſanguis eius copioſiſſime effluxit. Et illa extractio veſtis in vulneribus indurata erat ei maior pena q̄ vnq̄ ante ſuſtinuit. Conſidera et vide eum mentetenus ſic ſtantē coram tota multitudine hominum vtriuſq̄ ſexus vulneratum et cruentantem. Nec permittebatur Maria mater eius appropinquare ſibi ante crucis erectionem. ne aliquam exhiberet ei humanitatem. Et nota q̄ cū violentia ſeū ſuper crucem in terram nudum deiecerunt. et ita atrociter eum extenderūt ſup terram. vt omnia oſſa eius dinumerari poterant. ⁊ manus eius ac pedes optuſis ⁊ groſſis clauis cruci affixerunt. et ſic crucem cū corpore erexerunt cū impetu ⁊ magna vi. ita q̄ oīa vulnera manuū et pedum dilacerabantur. et ſanguis copioſiſſime defluxit. Quanta igitur tunc paciebatur Jheſus ꝓ te deuota ꝑpendas anima. Dedit diſcipulis ſuis dicens. Accipite et bi-

biteex eo omnes. Hic eſt enim calix noui et eterni teſtamenti miſterium fidei qui ꝓ vobis ⁊ pro mltis effundet in remiſſionem peccatorum. Tunc eleuatur calix conſecratus. hec quocienſcūq; feceritis in meam memoriam facietis. Oratio meditanda tempore eleuationis ſanguinis. O alme ⁊ benigniſſime pater de ſanctuario tuo intuere hanc ſacratiſſimam hoſtiam q̄ꝑ immolo tibi pro peccatis noſtris. et eſto placabilis ſuper multitudine malicie noſtre. En vox ſanguinis fratris noſtri Jheſu chriſti clamantis de cruce ad te. Pater dimitte illis. quia neſciunt quid faciunt. Suſcipe eum pro remiſſione peccatorum noſtrorum. Clamat enim ſanguis chriſti non vindictam ſicut ſanguis abel ſed miſericordiam. Poſt eleuationem calicis adora ſanguinem cum inclinatione cogitans. O ammirabilis et innocens precioſe ſanguis miſerere nobis peccatoribus amore illius caritatiue effuſionis. qua pro nobis de beatiſſimis vulneribus effluxiſti. Et hoc obſerua quotienſcūq; diſcooperires calicem. Unde extenſis manibus legitur. Hec extenſio brachiorum crudelem ſignificat extenſionem brachiorum chriſti et tocius corporis tribus horis in cruce vinctꝫ. In medio duorum latronū. Mar xv. Et cum ſceleratis reputatus eſt. Et clauis manuum ⁊ pedum innitebatur totum pondus corporis ⁊ ſic dilacerabant ⁊ findebantur foramina manuum ⁊ pedum continue. Unde ſi vidiſſes eum tam miſerabiliter pendentem defeciſſet anima tua pre dolore. Unde ⁊ memores domine nos tui ſerui ſed ⁊ plebs tua ſancta eiuſdem chriſti filij tui domini dei noſtri tam beate paſſionis necnon ab inferis reſurrectiōis et eius qui ſedet in celis glorioſe aſcenſionis offerimus p̄clare maieſtati tue de tuis donis ac datis hoſtiam puram.

Hec crux notat chriſti crucifixi illuſionem a vulgaribꝰ clamātibus. Vach qui deſtruis templum ⁊ in triduo ⁊c̄. Et a principibus dicentibus. Si filius dei eſt deſcendat nunc de cruce. et a militibus offerentibus ei acetum. Jh̄s vero pro eiſdem orauit prē͛ ſuū lachrimis et clamore valido mixtꝫ ſanguīe ī genis eiꝰ dicēs. Pr̄ dimitte eis q꞉ neſciūt q̄d faciūt Et petas vt eādē

pro te ad patrem dirigat ſanguinolẽtis lachrimis. hoſtiam ſanctam. Hec crux ſignificat crucem exprobrationis facte ſibi a latrone ſiniſtro quem increpans alter dixit. Neqꝫ tu times deum. Hic homo iuſtus ē. ꝛ dixit. memẽto mei domine dum veneris in regnum tuum Cui chriſtus ait. Hodie mecum eris in paradiſo. Hunc latronem aſpſit chriſtus ſanguine ſuo de dextera manu ſua fluente ꝛ ſaltante ſꝫm Alexandrum de halis. et ſic mundauit eum. Roga eum vt ſic etiam te purget hoſtiam

immaculatam Hec crux ſignificat tormẽtuꝫ compaſſionis doloris matris. Cui dixit intime compatiẽs. Mulier ecce filiꝰ tuus. Deinde dicit diſcipulo. Ecce mater tua. Non dicit mater cariſſima ſed cõmuni nomine mulier. Credenduꝫ enim eſt ꝙ ſi dulciter matri locutus fuiſſet cor virginis per mediuꝫ crepuiſſet. dolores enim quos in partu nõ ſenſit iam ſuſtinet. Queſo igitur o miſericordiſſime Jheſu. me intuere frequenter illis pietatꝫ tue oculis. quibus matrem et diſcipuluꝫ reſpexiſti ſub cruce ſtantes et amare flentes quando altera alteri cõmendat̃ vltimum eis relinquens teſtamentum dicens. Ecce filius tuꝰ ꝛc̃. Panem ſanctum vite eterne.

Hec quarta crux eſt tormentum ſue a deo patre derelictiõis Cum dixit Heli heli lamazabathani. hoc eſt. Deus meus deꝰ meus vt quid dereliq́ſti me. Et ſenſualitas expoſita penis ꝛ cathatacte diuine influentie erãt ſuſpenſe. ſic ꝙ nõ redundabant in ſenſualitatẽ. ex cuius redundantia abſorptus fuiſſet omnis dolor in inferiori portione rationis. ſicut in martiribus factum eſſe legimus. quia quanto maior pena exterior eis infligebatur tanto magis illis affuit redundantia gaudij conſolatiõis. In Jheſu autem factum eſt miraculoſe vt non redundaret gaudium conſolationis diuine in ſenſualitatem. Et calicem ſalutis perpetue.

Hec quinta crux ſignificat quintum verbum quod Jheſꝰ in cruce locutꝰ eſt. ꝛ tormentum potationis aceti ꝛ fellis. dum vt preſciens potum amarum ſibi dandum petijt. dicens. Sitio. At illi dederunt ſibi acetum cum felle mixtum. Bernhardus. O bone Jheſu de cruce taces. coronam ſpineam ſuſtines pre ſiti clamas. Et quid ſitis bone Jheſu. Certe ſitis

noſtram ſalutem ⁊ redemptionez hominis. Adhuc durat iſta
ſitis. et vere ruſticus eſt. qui eam non extinguit.

## Supra que.

¶ Dicetur hoc extenſis manibus ſuper menſam altaris ſu-
pra vtranq; partem oblate. Quia ſacerdos legalis offerens
hircum in ſancta ſanctorum pro peccatis populorum. poſita
vtraq; manu ſuper caput eius. confitebatur omnia pctā popu-
li iſrahel. qui imprecans capiti eius hirci emiſſarij. quem emit-
tit in deſerto Leuitici decimo ſexto. Qui portauit iniquitates
eorum. Sic ſacerdos euangelicus in ſancta ſanctorum ſcilicet
in altari ponit vtranq; manum ſuper hoſtiam. In ſignum q̧
ipſe ſccerdos offerens et populus. ſunt digni morte. ſed agnus
dei ſuſtinet mortem ꝓ eiſdem. ⁊ ſacerdos confitetur iniquita-
tes omnium ⁊ precipue miſſam audientium. ⁊ illorum quoꝝ
ante memoriam habuit. Ipſe enim eſt agnus qui tollit pecca-
ta mundi. Joannis ſecundo. quia omnes erant digni morte.
ſed filius dei offert ſe pro nobis omnibus ad mortem. Sicut
abel qui obtulit agnum. ita filius dei obtulit ſe agnum inno-
centem ex amore incōprehenſibili erga nos. ⁊ tali amore offert
ſeipſum quotidie pro nobis in altari. Et tali affectu a nobis de-
bet aſpici et ſuſcipi ac ſi iā in inſtanti primo fieret ⁊ ſic fuit im-
molatus vt abel Iſte enim agnus eſt qui occiſus eſt ab origine
mūdi. quia abel erat figura eius. Secūdo Jheſus fuit etiaz im-
molatus vt Iſaac a patre ſuo. Quia deus pater proprio filio
ſuo nō pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum. ſm A-
poſtolum Tertio Jheſus ſacrifitio Melchiſedech. qui panem
et vinum obtulit per omnia aſſimilatus eſt. qui quotidie ſe of-
fert ſub ſpetie panis et vini pro nobis deo patri. Et ſic rogāte
ꝓ eis ſacerdote propitius erit dominus populo. ⁊ ergo dicitur
hic ſupra que propitio. Nota q̧ Jheſus dicitur ſacerdos ine-
ternum ſecundum ordinē melchiſedech. q2 ſicut ipſe in via ob-
tulit ſe ꝑ ineffabiles dolores in ara crucis ſupplicans ꝓ nobis
lachrimis et clamore valido. Sic ipſe quotidie ſe offert pr̄i pro
nobis in miſſa ſuper altare. non dolore. ſed amore. ⁊ ſic ipſe hic

dicitur angelus magni conſilij.per cuius manus petimus hec preferri tanq̄ per nuncium hirci emiſſarij in ſublime altare. et ſic offert ſeipſum in conſpectu diuine maieſtatis. Et ergo per crucem que ſequitur dum dicitur.Corpus. figuratur penultimū verbum qđ dixit in cruce ſcilicet.Conſummatum eſt.id eſt tibi patri offero totum opus obedientie ⁊ paſſiōis mee ꝓ ſalute generis humani et me ipſo. Supra que ꝓpitio ac ſereno vultu reſpicere digneris.⁊ accepta habere ſicuti accepta habere dignat⁹ es munera pueri tui iuſti abel.⁊ ſacrificium pr̄iarche noſtri abrahe.⁊ quod obtulit tibi ſummus ſacerdos tu⁹ Melchiſedech ſanctum ſacrificium immaculataꝫ hoſtiam.

Supplices.

Hic ſacerdos deuote ſe inclinat et orat cancellatis manibus ante pectus.Hic enim hircus emiſſarius emittebatur liber in deſertum per manum nūcij.id eſt angeli in celuꝫ.Et etiā inſtar aaron precatur ſuper cornua altaris innitens altari extēdens manus ſacerdos quaſi in ipſo facto dicat. Obſecramus te ſupplices per crucem et paſſionem.quam ſuſtinuiſti in cruce expanſis manibus. Et inclinatio deuota ſignificat ꝙ Jheſus morti appropinquans incepit deprimere oculos ⁊ palleſcere ⁊ nigreſcere nec hn̄s vbi caput ſuū miſerijs feſſum ⁊ ſpinea corona ⁊ ſanguine in criminibus capitis congelato grauatū inclinaret niſi ſuper pectus ſuum.offerens ſeipſum patri ꝓ peccatoribus. Supplices te rogamus omnipotens deus iube hec perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuū in conſpectu diuine maieſtatis tue.vt q̊tquot ex hac altaris participatione ſcificant̄ ſuſcipe miſericordit̄ digner̄. Oſculare altare ad dexterā ptē ſacroſctīn̄ filij tui cor pus Hec crux fit in memoriā paſſionuꝫ ei⁹ quas paſſus eſt in toto corpore quaſi clamans illud ꝓphete.O vos omnes qui tranſitis per viam attendite et videte ſi eſt dolor meus ſicut dolor veſter.⁊ ergo ꝓtulit ſextum verbum. Conſummatum eſt.id eſt tibi patri offero totum corp⁹ obedientie et paſſiōis mee ꝓ ſalute generis hūani et hoc eſt faſciculus mirre dilecti mei inter vbera mea commorabitur. Et ſangui nem ſumpſerimus. Hec ſecunda crux que dicitur ſuper ſanguineꝫ.notat ſanguinem effuſū ⁊

corpus torridum relictum vt dicit Gregorius Cuius corpus
ſanctiſſimum in ara crucis torridum· ꝛ ſic inclinato capite cla-
mans voce magna ꝛ raucha lachrimando ꝓtulit ſeptimuꝫ v-
bum. ſcilicet Pater in manus tuas commendo ſpiritũ meum
et hoc dicens exſpirauit. Hic in time ꝓpende quantam ſuſtinu
it penam dum nobiliſſima anima eius a ſuo amantiſſimo atqꝫ
tenerrimo corpore ſeparabatur. Omni bene dictione ce-
leſti et gratia repleamur per eundem chriſtum dominuꝫ noſtrũ·
Tertia vero crux que fit ſuper illo verbo benedictiõe
et facit in faciem ſuam ſacerdos. notare poteſt titulum ſcriptũ
ſuper caput Jheſu. Jheſus nazarenus rex iudeorum. hũc titu
lum triumphaleꝫ dyabulus maxime ꝑhorreſcit. ergo munim'
nos ea in facie contra dyabolum. Memento etiam domine
famulorum famularumqꝫ tuarum qui nos preceſſerunt cum
ſigno fidei ꝛ dormiunt in ſomno pacis. Memoria mortu-
orum genitiui id eſt parentum et conſanguineorum. Datiui
quorum ſtipendijs viuis· Accuſatiui id eſt inimicorum Vo-
catiui id eſt illorum pro quibus rogatus es Ablatiui pro om-
nibus fidelibus defunctis. Etiam pro illis qui tibi confeſſi ſũt
Hic fit ſilentium et ſignificat chriſtum mortuum in cruce pen-
dentem. ſed eius anima ad limbum deſcendit patrum. et ergo
rogamus vt nunc dignetur deſcendere ad purgatorium inde a-
nimas liberando. ſicut tunc animas de limbo liberauit dicens
Ipſis domine et omnibus in chriſto qui-
eſcentibus locum refrigerij lucis et pacis vt indulgeas depre-
camur per eundem chriſtum dominum noſtrum.
Tunde pectus cum exaltatione vocis ꝛ ſuſpirio dicendo No
bis. Et ſignificat ꝙ centurio et iudei plurimi percuciẽtes
pectora ſua timuerunt valde. audientes ꝙ moriens clamauit.
et videntes ꝙ ex latere domini perforata a longino cuꝫ lancea
ſanguis et aqua effluxerunt miraculoſe. ꝙ ſol obſcuratus eſt
a ſexta hora vſqꝫ ad nonam. Qꝫ terra mota eſt et tremuit. Qꝫ
velum templi ſciſſum eſt. ꝛc. Petre ſciſſe ſunt ex motu terre.
Quibus ſacerdos ſe conformans recognoſcit ſe peccatorem

dicens. Nobis. qui pro aliꝭs intercesſimus. cum tamē nos ma
gis hac indigeamus gratia. Hebreorum quinto. Quemadmo
dum pro aliꝭs. ita pro ſe ⁊ pro peccatis offerre debet. Et licet
omni tempore debeamus ex toto corde nos peccatores recog-
noſcere. precipue tamen in ſacrifitio miſſe cum in remisſionem
peccatorum hoc ſacro ſanctum celebratur miſterium dicendo
ex profundo cordis. heu. heu. heu ꝙ anima mea non conpūgit
pro peccatis ꝓ quibus neceſſe fuit lancea vulnerari latꝰ tuuꝫ
o Jheſu ⁊ violari clauis manus tuas et pedes. heu ꝙ nō la-
chrymatur amaritudine ſpiritus meus. ⁊ cum tu deus meus
ꝓ me potatus fueris amaritudine fellis. Nobiſquoqꝫ pecca
toribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuaruꝫ ſpe
rantibus partem aliquam ⁊ ſocietatem donare digneris cum
tuis ſanctis Apoſtolis et martiribus cum Joanne Stephano
Mathia Barnaba Jgnatio Alexandro Marcellino Petro
Felicitate Perpetua Agatha Lutia Agnete Cecilia Anaſtaſia
et cum omnibus ſanctis tuis. Jntra quorum nos conſortium
non eſtimator meriti. ſed venie queſumus largitor admitte. ꝑ
chriſtum dominum noſtrum ℣ Et non reſpondetur hic ab
homine aſtante amen. nec in toto canone quia firmiter credit
ꝙ ab angelis circumſtantibus reſpondetur amen. Per
quem hec. Hec eſt tocius canonis concluſio. Et innuit
in his octo crucibus epylogus tocius pasſionis domini noſtri
Jheſu chriſti. Per quem hec omnia ſemper bona creas ſancti
ficas. Hec crux notat crucifixioneꝫ factā hora tercia
linguis iudeorum clamancium. Tolle. tolle. crucifige eum. dū
ſtetit coram Pylato ⁊ tota cohorte. indutus veſte purpurea co
rona ſpinea in capite. ⁊c̄. Viui ficas. Hec
crux ſignificat crucifixionem factam hora ſexta. cum eleuatus
fuit in cruce in eam affixus. Bene dicis. Hec
tertia crux ſignificat crucifixionem hora nona in cruce factam
Et preſtas nobis. Hic flexis genubus coniunc-
tis manibus adora eum. Petas licentiam ꝙ audeas eum
tangere. Et cogita ꝙ Joannes baptiſta quo non ſurrexit

maior inter natos mulierum contremuit et non audebat tan-
gere ſanctum dei verticem. Et depone corporale de calice. Per ip
ſum. Quia crucifixio facta eſt ſpatio trium horarum q̊ vix-
it in cruce Ideo ſubſequenter fiunt hic tres cruces Cū ip ſo
et in ip ſo. Fuit enim continue illis tribus horis in maximo
cruciatu et in multa effuſione ſanguinis. ſuſtentatus clauis ma
nuum et pedum, quibus totum corpus innitebatur ⁊ ſic con-
tinue dilacerabantur vulnerum foramina. Hic nota cum qn̄
to tormento in cruce tribus pependit horis. Eſt tibi patri om-
nipotenti in vnitate ſpiritusſancti omnis honor ⁊ gloria

Iſte due vltime cruces ſignant ſanguinem ⁊ aquam de cor
de Jheſu tranſfixo fluentes Et calix interius vltimo tangi ſolꝫ
cum oblata. ⁊ ſignificat apertionem lateris cum lancea de quo
exiuit ſanguis et aqua. Nulli dubium quin mater Jheſu vi-
dens latus eius tam grandi vulnere aperiri. quin ſeminina ce-
cidit in terram. vt dicit bonauentura. Cāticoꝝ. quarto. Vulne
raſti cor meum ſoror mea in vno oculorum tuorum. Et trahi-
tur vltima crux a ſummitate calicis quaſi vſqꝫ ad pedeꝫ eiuſ-
dem. ⁊ reducitur iterum ſurſum qr anima chriſti a corpore ſepa
ta deſcendit ad limbum et rediȷt. Toto hoc tempore ſacerdos
ſtabit inclinato capite inſtar Jheſu in cruce pendentis oſten-
dentis ſponſe ſue cor ſuum. Per omnia. Dicitur alta voce
In ſignum ꝙ hic eſt finis canonis. Et eleuatur corpus chri-
ſti parum cum calice. ⁊ ſignificat depoſitionem corporis chriſti
de cruce ſicut nicodemus ⁊ Joſeph fecerunt. Et reponitur ſu-
per corporale ſindone munda. Per omnia ſecula ſeculorum
Amen. Oremus. Hic adoratur flexis genubus. quia ma-
ter ſua Maria corpus eius de cruce depoſitum adorauit.

Preceptis ſalutaribus moniti ⁊ diuina inſtitutione formati
audemus dicere. Pater noſter qui es in celis. Chorus.
Sed libera nos a malo. Sacerdos. Amen. Dum cho-
rus reſpondit. Sed libera nos a malo. In feſto. tunc ſubdy-
aconus repreſentat diacono. inuolutam pathenam ⁊ dyacon⁹
eam diſcooperit et diſcoopertam ſacerdoti preſentat oſculādo

ſacerdotis dexteraꝫ ⁊ deponit cooperimentum de calice quia pa
tres in limbo oſculati ſunt chriſti dexteram cum dixerunt. Ad-
uenisti deſiderabilis. quem expectabamus in tenebris. ꝛc. Et de
bet hec ſequens oratio Libera nos queſumus. dici ſub ſilentio
quia diſcipuli chriſti omnes ſiluerunt mortuo chriſto. nec au-
debant publice loqui aut confiteri chriſtum. Et eleuat pa-
thenam. quia anima chriſti deſcendit ad inferos patres ibi illu
minans et ſpolians principatus ⁊ poteſtates tranſduxit confi
denter palam triumphans illos in ſemetipſo. Et in ſignuꝫ vic
torie et triumphi eleuat pathenam. Et ſic petit ſacerdos vt
nos etiam liberet ab omni malo dicens. Libera nos q̃ſumus
domine ab om̄ib⁹ malis preteritis preſentib⁹ et futuris. ⁊ inter
cedente pro nobis beata et glorioſa ſemꝑ virgine dei genitrice
Maria. ⁊ cum beatis apoſtolis tuis Petro ⁊ Paulo atqꝫ An
drea cum omnibus ſanctis Da propicius pacem in dieb⁹ no-
ſtris. Hic ſacerdos oſculatur pathenam quia reconciliauit
ſanctos in limbo et nos omnes Coloceñ. primo. Reconcilia-
uit nos in corpore carnis eius per mortem. Vt ope miſericor-
die ſue adiuti ⁊ a peccato ſimus ſemper liberi ⁊ ab omni ꝑ
turbatione ſecuri. Hanc crucem ſignat in faciem ſuam. q2 chri-
ſtus reconſiliauit nos deo patri per crucem ſuam. et per crucem
deuicit infernum. Dehinc ſacerdos de ore calicis coopertoriuꝫ
remouet. quia Joſeph ⁊ Nicodemus ad ſepeliendum corp⁹
Jheſu lapidem ab hoſtio monumẽti deuoluerũt. Et adorabit
eum tremulus anteq̃ eum eleuat ⁊ portat ad calicem corpus
Jheſu tanq̃ ad ſepulchrum. ⁊ dicendo. Per eundem
dominũ noſtrum Jheſum chriſtum filiũ tuũ. Diuiditur
hoſtia quo ad ſpecies eius in duas partes. quarum vna pars
offertur in laudem corporis chriſti. quod eſt in celo et gloria ⁊
ergo ſubditur. Qui tecum viuit ⁊ regnat in vnitate. ꝛc.
Alia vero medietas offertur pro illis qui ſunt in miſe-
ria. Et quia eſt miſeria illorum qui ſunt in purgatorio. ⁊ illoꝝ
qui ſunt in hoc mundo predeſtinati. ⁊ ideo illa alia medietas

ſubdiuiditur in duas partes .cum dicitur. In vnitate ſpi-
ritusſancti deus per omnia ſecula ſeculorum Amen. Hoc ſa-
cerdos alta voce dicet parum eleuando calicem cum vna pte
hoſtie quia chriſtus regreſſus eſt ab inferis cum ſpolio et triū
pho ⁊ pompa nobili. Et in dicendo alta voce. Pax domini
ſit ſemper vo biſcum. parti corporis chriſti miſtici ſcȝ fide
libus ſignificate per partem immergendam ſub tribulatiōib⁹
preſentis vite agoniſanti petit ſacerdos pacē pectoris in preſē
ti vita per graciam. ⁊ pacem eternitatis in futuro ꝑ gloriam. ⁊
facit tres cruces cum hoſtia ſuper calicem dicendo. Pax domī
⁊c. quia tribus diebus fuit corpus chriſti in ſepulchro ⁊ ani-
ma in limbo patrum. Et poſt hoc immittit illam partem cor-
poris chriſti in calicem dicendo.

Fiat hec coummixtio corporis ⁊ ſanguinis domini no
ſtri Jheſu chriſti. omnibus nobis ſumentibus ſalus mētis et
corporis in vitam eternam Amen. Significat vnionem
carnis et ſanguinis cum anima chriſti in ſepulchro cum reſur-
rexit. In triduo enim mortis chriſti anima fuit ſeparata a cor-
pore et ſāguine ⁊ ſanguis a corpore. In reſurrectione vero il-
lorum trium vnio fuit facta. ⁊ quia chriſtus poſt reſurrectiōeȝ
ſuam Joannis ſecūdo. dixit diſcipulis ſuis. Quoꝝ remiſeritis
peccata remittuntur eis. corpus chriſti miſticum in preſenti ſe-
culo inter inimicos militans. pro remiſſiōe peccatoꝝ ſuppli-
cat. Et etiam petit pacem quam chriſtus diſcipulis ſuis dedit
poſt reſurrectionem ſuam dicendo. Agnus dei qui tollis
peccata mundi ⁊c̄. Sacerdos etiam rogat chriſtum pro
pace eccleſie. Inclinando dicens.

Domine Jheſu chriſte qui dixiſti apoſtolis tuis. pacem
meam do vobis pacem relinquo vobis. ne reſpicias peccata
mea ſed fideȝ eccleſie tue. eamqȝ ſcdm̄ voluntatē tuā pacificare
cuſtodire adiuuare ⁊ regē digneris. Qui viuis ⁊ regnas deus

per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Oſculando altare et oſ-
culando crucem in libro dicit. Pax chriſti et eccleſie dei abun-
det in cordibus noſtris. Ju ſignum ꝙ chriſtus dedit diſci-
pulis ſuis pacem dicens eis. Pax vobis. Joannis. ſecundo.
Dixit Jheſus diſcipulis ſuis pax vobis. Et ſic ſacerdos oſ-
culatur crucem in libro. Hec cum dixiſſet oſtendit eis manus
et latus. Jn huius ſignum ſacerdos cancellatis manibus ver
tit ſe ad miniſtrum. oſtendens ei manus. oſculando ymaginē
a miniſtro ſibi preſentatam et oblatam dando eidem miniſtro
in perſona omnium diſcipulorum pacem dicit Pax tecum Ha
beto vinculum pacis ⁊ charitatis vt aptus ſis ſacris miſterijs
chriſti. Significat ꝙ chriſtus iterum dixit eis Pax vobis.
etcetera. Et cum hoc dixiſſet Jnſufflauit ⁊ ait diſcipulis. Acci-
pite ſpiritum ſanctum. qꝛ ſpiritualiter omnes preſentes in gra
cia cōmunicant corde. ⁊ ſic ſacerdos dat miniſtro pacis ⁊ cha-
ritatis vinculum. ⁊ per eum omnibus qui interſunt miſſe. qꝛ
charitas dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per ſpiritum ſanctū
Et pro communione que in primitiua eccleſia ſingulis diebus
omnibus et ſingulis qui intererant miſſe fiebat. ſacramentalit̄
et ſpiritualiter datur pax ſingulis. Ju qua ſignificatur ꝙ cor-
de cōmunicent ſcilicet ſpiritualiter. Canticorum primo. Oſcu-
letur me oſculo oris ſui. Anteꝙ̄ communicet dicat inclinatus
hanc orationem. Domine Jheſu chriſte fili dei viui qui ex
voluntate patris cooperante ſpiritu ſancto per mortem tuā
mundum viuificaſti libera me per hoc ſacro ſanctum corpus
et ſanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis ⁊ vniuer
ſis malis. ⁊ fac me tuis ſemper obedire mandatis. ⁊ a te nūꝙ̄
ſinas imppetuū ſeparari. Qui cum eodem deo patre ⁊ ſpiritu-
ſancto viuis et regnas per omnia ſecula ſeculorum. Perceptio
corporis et ſanguinis tui domine Jheſu chriſte quam ego indig
nus ſumere preſumo nō mihi proueniat ad iudicium ⁊ con-
demnationem. ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentū
anime et corporis Amen. Et qꝛ quotienſcūqꝫ manducabimus
panē hūc. ⁊ calicē dn̄i bibemus. mortem domini annūciabimꝰ

donec veniat. Chorin. ij. Et ideo habenda eſt memoria paſſio-
nis et mortis chriſti ante corporis et ſanguinis eiuſdem ſump
tionem celeriter et cum omni deuotione corde contrito et reue
renter vitando cordis diſtractionem. et mentis euagationē. ne
perdāt deuotionem. irruētes cogitatiōes. Et cogita q̄d tuipſe
ſis. et quantus ille quem accepturus es. qui etiam ꝑ tuis pec-
catis ex nimio amore tui obprobriſſimaꝫ ſuſtinuit mortem et
ſanguine ſuo precioſiſſimo te moriens in patibulo redemit. et
q̄ttidie te eodem ſanguine potat et corpore nutrit Quid ampli
us debuit facere ꝛ nō fecit. Hanc vltimam memoriam ſui no-
bis reliquit quaſi neſcieus ſe a nobis ſeparare. ſed ſeipſum inſe-
perabiliter ſub ſpeciebus panis et vini quaſi pignꝰ relinquēs
vt quotiens inſpexeris amoris ſui immenſi recorderis. ꝛ ſi illō
pignus perfecte inſpexeris. abſqꝫ fletu et magno deſiderio et
ſuſpirio offerre et accipere non potes.

Duꝫ accipias corpus domini in manū dicas. Panem
celeſtem accipiam et nomen domini inuocabo. Domine nō ſuꝫ
dignus vt intres ſub tectum meum. ꝛc. Hic accipe corpus do-
mini cum magno tremore ꝛ deuotione. Ad calicem domini
Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit mihi
Calicem ſalutaris accipiam. ꝛc. Sanguis domini noſtri ihe-
ſu chriſti. ꝛc. Quod ore ſumpſimus domine pura mente. ꝛc. Cā-
ticꝫ. v. Comedite amici et bibite ꝛ inebriamini chariſſimi. Co
medite corpus meum ꝛ bibite ſanguinem meum. ꝛ inebriami
ni in diuinitate mea. verbum caro factum eſt. vt cibus āgeloꝝ
fieret cibus hominum.

## Communio.

Communio ſignificat gaudium de cōmunione corpo-
ris ꝛ ſanguinis Jheſu. ps̄. Jn voce exultatiōis ꝛ con-
feſſiōis ſonus epulantis.

## Complende.

Complende leguntur extenſis manibus ſm Jnnocentium.
Et ſignificant benedictionem quā rogat fieri a deo in cōplēdis
ſiue oronibꝰ preſbr. ſicut xp̄s aſcēſurꝰ in celū eleuatꝫ maībꝰ bn̄-
dixit eis Leuiti. ix. Cūqꝫ cremati eſſēt adipes in altari. extēdēs

ſacerdos legis antique manū ad populum benedixit eis. Sic etiam ſacerdos euangelicus hoſtia oblata ⁊ concremata ⁊ deo patri miſſa benedicit populo. In feſtis tamen diacon⁹ cātat Ite miſſa eſt et repreſentat illud canticum angelorum .ſcꝫ. Viri galilei quid ſtatis aſpicientes in celum. hic Jheſus qui aſſumptus eſt a vobis quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in celum. ita veniet. ⁊c̄. Luce vltimo. Benedictio tamen fit a ſacerdote ſuper populum per ſignum crucis. Chorus vero cō gratulando reſpondit. Deo gratias. Imitando apoſtolos qui adorantes eum egreſſi ſunt hieruſalem cum gaudio magno. Et in fine miſſe ſacerdos ex intima deuotione legit hymnū trium puerorum. quia ſacerdos inſtar puerorum iam extitit ex ſumptione ſacramenti in camino ignis ſumme deuotionis purgatus et vt alter ſimeon poſtq̄ accepit puerum Jheſum in vlnas cordis ſui ex intimis ſuſpirijs cantat canticum ſymeonis. Nūc dimittis ſeruū tuū domine. ⁊c̄. Et ergo dicit. Bonauentura in ſermone de corpore chriſti. Si poſt cōmunionem non ſentis aliquam ſpiritualem refectionem. ſignum eſt infirmitatis tue ſpiritualis vel mortis. Ignem enim poſuiſti in ſinum et non ſentis calorem. Mel in ore et non ſentis dulcedinem. Si vero conſolationem ſentis aliquā. nō tibi ſed diuine tribue bonitati. Hec de calciamēto domini benedicta ſufficiunt.

Tractatulus fratris Guilhelmi de Gouda. ordinis minoꝝ de obſeruantia. de expoſitione miſſe et de modo celebrandi finit feliciter.

Biblioteka Główna w Poznaniu Uniw. im. A. Mickiewicza

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU
Inc. 11. Cz
INKUNABUŁY